



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bavariae Sanctae Volvmen ...

Rader, Matthäus

Monachii, M.DC.XXIV.

S. Conradvs Nantovinvs Sev Nantvinvs, Sev Nantvvinvs VVolfratshvsianvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79699](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79699)

S. CONRADVS NANTOVINVS

SEV NANTVINVS, SEV NANTVVINVS

VVOLFRATSHVSIANVS.

C12, CC, LXXXVI.

VII. Id. Aug.

Ex monumentis pa-
rochia VVolfratshu-
siana M. S. & libro
rituali.

Auent. l. 7. p. 718.



Ita S. Conradi Nantouini ex rituali parœciæ VVol-
fratshusianæ descripta est. VVolfratshusium quod
Auentinus Veliphorathusium appellat, oppidum est,
seu forum, in superiore Boica ad Loyfam seu Iibufam
amnem paulò supra quàm mittetur Isaræ, plus minus
viginti millia passuum ferè à prætorio Boiorum Monachio. Illic
hodièque ædes est D. Laurentio & Conrado Nantuino sacra. Nan-
ruinus seu Nantvvinus VVolfratshusium habitu cultûque peregrini,
religionis vtriusque causâ Romam petiturus, aut inde reuersus di-
uerterat: unde, cuius, quis domo, quibusue maioribus natus nihil
est proditum. Peculiohæc an ex paterna hæreditate vel stipe colle-
ctum non constat. Gantherus id locorum præses homo fœdus
& avarus oculos ad numos aduenæ adiecit, miseròque pædareftias
crimen obiecit, perinde quasi puerum de stupro appellasset. Itaque
tanquam lege ageret, contra leges hominem peregrinum, omni
patrocinio causæ destitutum, vinctum, damnatumque ultimo
supplicio afficit, viuûmque ad modum S. Laurentij ferææ crati in-
ijcit, torret, exurit. Innocentiam viri mox varia testata sunt pro-
digia, quibus Deus & famam Nantouini purgavit, & sanctitatis
etiam opinionem conciliauit. Ita habent monumenta VVol-
fratshusiana, quæ fidei causâ ad verbum subiiciam, notamque ad-
dam qua numerum & nomen Principis falsum emendem.

Audiant legentes hanc chartam inspicientes.

Notandum quod anno domini millesimo ducentesimo octauo, temporibus do-
mini Rudolphi Ducis Bauariæ qui tum residentiam habuit corporalem in castro
VVolfratshusen, venit quidam Romipeta nomine Nantuunus, homo fidelis
corpore & animo, qui à quodam iudice suo dicto Ganter fuerat tentus, & judi-
cio præsentatus & ab eodem contra iustitiam est condemnatus, & ob pecuniam
secum inuentam in craticula positus est, in loco ubi nunc basilica à Christi fide-
libus est edificata. Cuius dies anniuersarius cunctis temporibus proxima domi-
nica ante festum S. Laurentij martyræ peragitur. Dicitur verò quod idem
frater Nantuunus obiit per martyrium, & percepit vitæ æternæ præmium in
die beate Afræ qua colitur septimo Idus Augusti.

Obserua

S. CONRADVS NANTOVINVS.



*Auri sacra fames quid non mortalia cogit
Pectora? quod facinus non sitis audet opum?
Insidias vitæ neclit, quærensque per ignes
Argentæ venas, obruit igne fidem.*

*SAEPVS INSONTIS VIRTVS SINE TESTE LABORAT
Et scelus opprimitur postremo prius.
Sed tandem pulsa, lux emicat aurea nube,
Testes, testis adest, deficiente, Deus.*

Obserua

Obserua lector, hoc, año post Christū natum cīo. cc. lxxxvi. contigisse, non, vt legisti, cīo. cc. viii. Dein ea tempestate cīo. cc. viii. nullum Boiorum principem Rudolphum fuisse appellatum. Nam Ludouicus Rudolphi pater cīo. cc. xciv. extinctus est, quo demum mortuo prouincia diuisa est inter Rudolphum & Ludouicum postea Imperatorem. *Auent. p. 380. Bassl.* Nomen ergo Principis & numerus corrigendus, si contendas anno cīo. cc. viii. Nantouinum crematum, nullus adhuc Rudolfus natus erat. Dissentit præterea Auentinus à chartis, quando ille ad palum ligatum & vstulatum scribit: hæ, rogo iniectum & crati implexum, vel impositum: exustum tamen ambo fatentur. Condita inde est ædícula martyris, genus supplicij tabulâ pictâ supra altare collocatâ, quæ hodiè que cernitur, expressum: cuius tabulæ alæ ostendunt, quæ paullò post mortem infecuta sunt. Nam Gantherus præfectus dynastiæ V Volfratshusianæ, cum non diu post commissam innocentis cædem, illac cum famulatio negotiorum causa alio iturus eques transmitteret, cineresque illic dissipati cum ossium reliquiis jacerent, equus occæcatus hæsit, restititque donec aduertens è comitatu seruus tollit exuias martyris & ossiculum oculo iumentum admouet, quod illico respexit. Lucem quoque vir & mulier cæci per vota ad sanctum missa receperunt. Sacra dein pignora S. Viri collecta, & in vnam composita, in sacello eiusdem seruantur, marmore, quod in scriptam Nantuini habet effigiem, & ad sinistram altaris latus, vbi anathemata votorum suspensa pendent, parieti insertum est, ibique ad nostrum vsq; sæculum, annum inquam cīo. 15c. xxi. durauit. A Bonifacio Romani nominis octauo pont. max, año duodecimo post necem Nantuini, cum passim vulgarentur miranda martyris facta & miracula, tabulæ per Archiepiscopum Basilium Hierosol. & alios Episcopos, quibus delictorum veniæ precantibus & virum sanctum venerantibus datæ sunt, V Volfratshusum sunt missæ, quæ diu, tanquam vnâ cum sacris reliquiis conditæ essent, latuerunt. Anno demum cīo. 15c. 1v. impulsu nempe S. Nantuini, quidâ è S. Francisci familia & Monacensi contubernio V Volfratshusum ad cineralia à magistratu euocatus hæc è tenebris erutas ad populum pro concione vulgauit, adeoque prope sepultam Nantuini memoriam renouauit. Vnde mirus populi concursus ad ipsius conditorium factus, mira quoque facta benefactaque Nantuini erga cultores & voti reos ostensa, gazophylacium auctum, templi cultus inde instauratus ex cultusque: sacellum per angustum in iustum templum excreuit. Accepi ego ab ipso paroeco Gaspare

Gaspere Cramero præsente multa eaque illustria S. Nantuvini miracula diligenter perscripta quæ post templi instauracionem sunt edita; sed quia id institutum meum non est, ut ea quæ post mortem omnia contingere, exponam, qui vitas Sanctorum compono, illa omnia alteri singulari volumine memoranda committo, nisi cum ex occasione vel attingenda vel delibanda sunt. Tabulæ verò veniarum datæ hæc sunt: *Uniuerfis sanctæ matris Ecclesiæ filiis, ad quos præsentes literæ peruenierint.* Nos Dei gratia Basilus Ierosolymitanus Archiepiscopus, Volradus Brandeburgensis, Stephanus Opidensis, Fr. Romanus Crobenis, Sabba Militensis, Adam Maturanensis, & Salernus Thelesinus Episcopi salutem in domino sempiternam. Licet is, de cuius munere venit, ut sibi à suis fidelibus dignè ac laudabiliter, sua uer de abundantia pietatis, quæ merita supplicum excedens & vota, bene seruientibus, multò maiora tribuat quàm valeant promereri, Desiderantes tamen Domino reddere populum acceptabilem fideles Christi ad complacendum & quasi quibusdam allectiuis muneribus, indulgentiis & uidelicet & remissionibus inuitamus, ut exinde diuinæ gratiæ reddantur aptiores, Cupientes igitur ut Ecclesia S. Nantuuini Frisingensis diocesis congruis honoribus frequentetur, & à cunctis Christi fidelibus iugiter veneretur, Omnibus uere penitentibus & confessis, qui ad ipsam ecclesiam in festis subscriptis uidelicet in festo S. Nantuuini, singulis diebus Dominicis, per octauas Natiuitatis Domini Resurrectionis, Ascensionis, & Pentecostes, B. Laurentij Mart. S. Michaelis Archangeli, in festis omnium SS. Apostolorum, in die Innocentum, & B. Nicolai, Omnium Sanctorum, B. Catharinæ, S. Mariæ Magdalene, ac in die dedicationis ipsius ecclesiæ, causa deuotionis accesserint, aut qui ad fabricam, luminaria, ornamenta seu ad alia necessaria ipsius ecclesiæ manus adiutrices porrexerint, aut in extremis laborantes quicquam facultatum suarum legauerint ecclesiæ prælibatæ. Nos de omnipotentis Dei misericordia & BB. Apostolorum Petri & Pauli eius autoritate confisi, singuli singulis singulas dierum quadragenas de iunctis sibi penitentibus, dummodo consensus diocesani ad id accesserint, misericorditer in domino relaxamus in cuius rei testimonium præsens scriptum sigillorum nostrorum munimine duximus roborandum. Datum Romæ anno domini

CID. CC. XCVII. pontificatus sanctissimi Papæ Bonifacij
octauis, quinto.

